

## CONCIO I. AUCTARII.

tus in stabulo, ioco fœtenti, reclinatur in præsepio : moriturus producitur in locum graveolentem, nempe in montem Calvariæ, et in aspero crucis lecto reclinatur. Nascitur in obedientia Augusti Cæsaris : morietur ex obedientia Pilati vicem imperatoris Tiberii gerentis. Natus inter duo animalia statuitur : acturus animam inter duos latrones collocabitur. Vides igitur quanta sit convenientia inter Christum puerum, et inter Christum virum? Inter præsepi, et crucem? Inter exordium vœ, et finem?

Ad hæc venit ut novam vivendi normam nobis præscriberet, et in seipso primum velut in exemplari delinearet. Idcirco enim, Isa. IX. nomen Christi nati dicitur futurum: *Pater futuri sæculi*, quia Christianos, novos scilicet homines, ad novam vivendi rationem et sanctitatem futuri sæculi erat instituturus. Factus quidem erat ad imaginem Dei homo; sed quia astu dæmonis fœdrat imaginem illam, nec decebat ut prorsus perire, ideo reformatore eguit. « Ut enim forma aliqua, ait S. Athanasius, lib. de incarn. Verbi, in tabulis depicta, sordibusque aliunde objectis, oblitterata instaurari nequit, nisi ejus præsentia adhibeatur, ad cuius speciem primitus tabula depicta fuit; eodem modo undecumque ille bonus Patris Filius, imago et charactere Patris ad regiones nostras profectus est, ut hominem ad suis similitudinem factum denuo resiceret. » Hoc autem mox ab infantia Christus agere cœpit, quando se in præsepio spectandum exhibuit tam pastoribus quam regibus, tam pauperibus quam divitibus. Ibi enim videre est exemplar humilitatis in ejus præsepio; paupertatis, in ejus stabulo; obedientiae, in ejus fasciis; patientiae, in fœno et in rigore hiemis; contemptus mundi, in alieno territorio. Ibi in vili tñgurio damnat insana mundanorum ædificia: in fœno et præsepi, aureos eorum lectos mollitus refertos: in vilibus pannis vestium splendorem: in suis lacrymis, immoderatos risus: in parvo lacte, lauta convivia: in fœtore stabuli, suaves susfitus et vestium odores: in bove et asino, pravas societas. Hic porro est rex noster, cuius exemplum sequi jure meritissimo subdit debarent. Surgeant alioquin Ninivitæ in judicio et accusabunt eos; siquidem ipsi videntes regem suum ad prædicationem Jo-næ surgere de solio suo, et abjicere vestimentum a se, indui sacco, et sedere in cinere: mox etiam ipsi regis exemplum secuti: *Prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem*; et peruenit (hoc est, quia peruenit, ut ibi explicat Cornelius) verbum ad regem, Joan. I<sup>o</sup>. A rege igitur ad subditos derivata est pœnitentia. Quid jam faciant Christiani, viso exemplari suo,

rege suo, qui de cœlesti solio suo surgens neglecta ueste gloriæ suæ, induit se pannis, reclinavit se in fœnum et præsepe? Denique, ad hoc de cœlo venit, ut nos in cœlum eveharet et assumptis miseriis nostris, cumularet ac ditaret bonis suis. Regis filius Jonathas, ut amore suum erga Davidem demonstraret, expoliavit se tunica et vestimentis suis, usque ad gladium, arcum et balteum suum, I. Reg. XVIII. Pastorculus erat David et pastoriis indutus uestibus, quare non satiis firma fidaque videbatur futura amicitia inter filium regis et pastorem. Itaque ut eam firmaret ac sancret Jonathas, spoliavit se ornamentis suis, iisque Davidem induit, ut quasi alter Jonathas fieret. Idem egit Dei Filius cum humano genere: spoliavit enim se ornamentis gloriæ suæ et nudavit se in præsepi, usque ad indusiolum, deditque illi tunicam gratia, vestimenta virtutum suarum, gladium verbi Dei, arcum orationis ad jaculandum in cœlum et impetrandum omnia in nomine ejus, ipsum denique balteum (qui erat insigne et gloria militis) gloriæ suæ cœlestis et paternæ hæreditatis. Sed quis impulit Jonatham, ut adeo nudaret et Davidem ornaret? Non nisi amor, quia *diligebat eum ut animam suam, et conglutinata erat anima ejus animæ Davidis*. Idem ut Dei Filius homini impertiret, impulit eum amor. Amor similes facit, et sua amato communicat, ut patet in conjugibus: idem erga hominem efficit in Dei Filio. Amor captivam facit voluntatem, intellectum quasi cœcat et insanire facit: idem dixerit aliquis effecisse in Dei Filio. Quis enim non captivum videt in præsepi? Quis non putet insipientem, utpote amore nostri factum infantem, pauperem, nudum, miserum? Vere igitur dicere poterat illud apostoli, II. Corint. XII. *Factus sum insipiens, vos me coegistis*. Cur insipiens, Domine? Quia vilem et sordidum pastoreculum adeo amasti, quasi animam tuam, ut ejus miserias assumeres, tuas opes ei donares. Vulgo dicitur: *Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam*. Ranam amasti Domine, et hanc ranam putasti esse Dianam.

Nunc igitur, auditores, considerate quid vicissim vos Dei Filio debeatis, tanto amatori vestro. Et quid, nisi amorem reciprocum? Sane agnovo David quid Jonathæ suo deberet, ideo viciissim tenerime eum amavit, adeo ut dum sibi in mutuo amplexu ambo valedicerent, ambo quidem flerent, David autem amplius, I. Reg. XX. Ejus quoque amorem adeo cordi suo impressit, ut mortuo etiam impenderet, parentando multis lacrymis, posteris quoque ejus benefaciendo. Ergo et nos pariter imprimamus pectori nostro Jonatham nostrum, Dei Filium amore nostri nuda-

## IN FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

tum, et in præsepi positum. Sit hic amor et memoria, velut margarita in corde nostro jugiter reposita, infixa et impressa.

## CONCIO II.

## GAUDIUM HODIERNI DEI EX NATO SALVATORE.

I. Quia uatus est nobis redemptor. — II. Natus fidejussor. — III. Natus coelestis medicus. — IV. Natus mundi sol. — V. Natus viæ dux. — VI. Natus mundi auctor. — VII. Natus princeps pacis. — VIII. Natus Salvator.

## THEMA.

*Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator mundi*. Luc. II.

Sanctus ille et Seraphicus Franciscus singulari devotione non tam ferebatur, quam rapiebatur erga hodiernam festivitatem, adeo ut cum solem oriri et prodire ex aurora cerneret, mirifice lætaretur, quod in illo imaginem quamdam et effigiem Christi ex Virgine Maria nati, expressam intueri sibi videretur. Quinetiam fertur in ipsa nativitatibus Christi nocte non exiguum frumenti mensuram per agrum disseminasse, ut aviculæ mane surgentes eo vescentur, Christique nati laudes suo modo libentius atque liberius decantarent, uti refert noster Alphonsus Salmeron, tom. III. tr. XXXIV. Movit ad hoc, ni fallor, virum sanctum cantus ille angelorum, quasi cœlestium avicularum, Christi laudes hodie suaviter canentium, et communem orbi lætitiam suo cantu nuntiantum. Non tam enim sibi quam hominibus applaudebant, quorum gratia Christus natus est, ut suo illo plausu omne hominum genus ad communem invitarent aplausum. Quid jam igitur nos, auditores? Non etiam exultabimus et una cum ss. angelis, immo plusquam angeli, laudes Deo canemus? Nemo nostrum sit lætitiae hujus exsors. Nostrum enim magis quam angelorum est hoc festum: nostrum est cantare et jubilare, non avicularum. Quod ut libentius ac liberius faciat, spargam vobis semen et pabulum, ex quo intelligatis, quis et quantus sit, qui vobis natus est.

I. Natus est vobis hodie redemptor, qui eripuit nos de servitute dæmonis ac peccati, omnium durissima. Quanto gaudio perfunderetur vir præsentim nobilis, captivus apud Turcas, præsentissimam mortem semper expectans, si quis ad ipsum penetrans per medium Turciam, lytro eum redimeret, et in patriam reduceret? Afflictissima fuit Hebreorum servitus in Ægypto, qua a rege novo et tyrannico premebantur et op-

tem introduxit. Hec est, quod per Isaiam, c. LII. prædictit Deus: *Egyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi; et Assur (Pharao) absque illa causa calumniatus est eum. Et numquid mihi est hic? etc.* quasi diceret: Veniam et redimam eum: *Quia ipse, qui loquebar, ecce adsum.* Jam nunc cogitate, quantam exultandi causam hodie habeamus ex tali liberatore. Hebrewi certe ubi audierunt et viderunt liberatorem suum Moysen a Deo ad se missum, et miraculis comprobatum, proni adoraverunt, Deo gratas agentes, quod in afflictione sua eos visitasset, Exod. IV. Quanto justius nos proni et prostrati hodie adoramus eum, qui non misit servum, sed in persona propria ad nos redimendos venit, Dei Filium? Cecinerunt Moyses et filii Israel carmen Deo lætissimum, postquam se viderunt e manu Pharaonis, per maris rubri transitum, eratos, ipsumque demersum. Exo. XV. Cogitate vos, quas laudes hodie Christo debeatis, qui per baptismum, sanguine suo purpuratum, vos eduxit e potestate dæmonis, ipsumque in abyssum dermersit.

II. Natus est nobis fidejussor, qui omnia vestra debita et quoscumque pœnarum reatus in se suscipit, luiturus in corpore suo. Novum hoc maximumque beneficium est. Non enim quo quis e carcere aut captivitate dimittitur, eo ipso ab omni debito liber est, sed lytrum solvere cogitur, et damna illata resarcire, impensas solvere, etc. Quantum exultaret vir honestus ob debita pecunaria in vinculis detentus, nec habens unde solveret, si quis se ipsi sisteret, velut fidejussor, omne ejus æs alienum ex suo soluturus? Venit ergo Christus, ut non solum vos eriperet e potestate tenebrarum, sed ut pœnæ etiam reatum in se susciperet. Quis tam gratum nuntium non summis plausibus accipiat? *Unusquisque nostrum,* ait Origenes, hom. XIII. in Gen. in his, quæ delinquit debitor efficitur, et peccati sui litteras scribit. Quasi enim per chirographum se ad pœnas Deo obligat. At vero Christus Dominus venit: *Donans nobis omnia delicta,* ait apostolus, ad Coloss. II. *delenens, quod adversus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de media, affigens illud cruci.* Quale chirographum? Respondet Origenes, ubi supra: *Hoc chirographum peccatorum nostrorum cautio fuit.* Magnam populo Romano lætitiam creavit, sibi que apud eum gratiam et benevolentiam conciliavit Hadrianus imperator, quando ingentem aurum summam (erant viginti septem milliones) privatis debitoribus, quam fisco debebant, in urbe provinciisque remisit, combussitque eorum syngraphas in publico Trajani foro, ne unquam ea

summa repeti posset, Pontian. capite XIX. de liberalitate. Debitum hoc pecuniarum erat, quod eorum fortunas tantum concernebat, non sanguinem petebat; et dissolvi aliquando a debitoribus poterat. Non ita debitum peccatorum contractum apud Deum, quod nemo solvere poterat, et vitam concernebat. Venit hodie, qui hoc debitum omnibus remitteret, et igne charitatis suæ combureret atque in publico Calvariæ monte cruci affigeret, hoc est, cruce sua dissolveret, transfigeret, laceraret. Quanta hinc existit lætitia materia!

III. Natus est vobis medicus cœlestis, qui omnes vestras infirmitates sanare paratus est; et sanabit quoties etiam relapsi in eas fueritis: sanabit absque mercede, absque cruciatu, unctione, scissione vel amara pozione, absque illa dubitatione. Quis æger ad talis medici adventum non exhilaretur? Non resumat animum? Est hic Christus Dominus, qui seipsum appellare medicum nostrum valuit, Matth. IX. *Non est opus valentibus medicus:* et Luca IV. *Medice, cura te ipsum.* Ipse enim omnes animæ nostræ morbos sanare consuevit; et sanat quotiescumque in eos recidimus; et quidem suis non nostris sumptibus, sanguine scilicet proprio, et quantum in ipso est, infallibiliter, modo ei vulnera et morbos ostendere velimus. Ita Joannes Apocalypsis primo: *Dilexit nos, inquit, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine sua.* Lavit semel in baptismo, lavat adhuc quotidie in pœnitentiæ sacramento; ita ut ejus sanguis sit quasi alexipharmacum contra omnes ægritudines, et quasi sapo efficacissimum ad eluentias omnes animi maculas et sordes. Quis jam non exaltet totis viribus ad adventum talis medici? Quis non summo gaudio eum simul et honore excipiat? Certe postquam Antonius Musa, peritissimus medicus, Romanum (ubi prius per annos quatuor centum nullus fuerat medicus) venit, et ipsum Augustum imperatorem aliosque feliciter curavit, mirum in modum honoratus fuit, donatione aurei annuli, qui nobilitatis insigne erat, dedicatione statuæ alabastrinæ in foro, immunitate ab omnibus civilibus oneribus, multaque pecunia, apud Suet. in Augusto et alios. Quanto plus exultare ducet nos in adventu cœlestis nostri medici, eumque omni honore et veneratione prosequi, qui ab exordio mundi usque ad id temporis nullum habuimus, medicum, qui mederi posset morbo nostro? Maximum divinæ pietatis argumentum fuit, quod Isaïas Dei jussu venerit ad Ezechiam regem a morbo lethali sanandum; majus adhuc, quod Raphael archangelus ad Tobiam missus sit a cœitate curandum; et si omnes angelorum chori ad ipsum descendissent,

nequaquam tautum fuisset, quantum est venire ad sanandum nos in ipsum angelorum Domini num.

IV. Natus est vobis sol, imo sole illustrior illuminator mundi, prius tenebris involuti. Ita eum appellat S. Joannes capite primo: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* et ipse Christus, Joan. IX. cœcum natum illuminatus, *lucem mundi* se appellat: et meritissimo quidem. Quæ enim et quanta tenebre erant ante Christum! Quam pauci noverant eum et cui viventer! Quantum hallucinabantur in investigando summo bono? Unus clamabat: *O cives, quærenda pecunia primum est: virtus post rnummos: aliis, Ede, bibe, lude: post mortem nulla voluptas.* Quam stulta et perversa principia bene omnes habebant! Deum non curare res humanae: non esse post hanc vitam æternam exspectandam: animam una cum corpore interire: inimicos odio habendos et persecundos, ac similia! Denique, sicut de Batavis suis affirmabat quidam, urbanitatem omnem politiamque Romano imperio tribuens: *Quid, inquiens, essemus nos Batavi, nisi lumen illud imperii nobis affluisse set?* utique rudes nauta et piscaiores tantum (refert Octavian. Tufo, in cap. X. Ecclesiastici); ita et nos multo æquiore jure dicimus: *Quid essemus nos mortales, nisi lumen illud mundi, Christus, nobis ortum fuisset?* Utique velut cœci aut homines subterranei in specubus degentes. Venit ergo lux mundi, et ostendit nobis Deum creatorum et summum bonum nostrum, vias quoque innumerabiles ad ipsum pervenienti. Illuminavit autem nos Iuto illo, facto ex sputo et pulvere, Joan. IX. (significante Christum in divina et humana natura) quo illuminavit cœcum natum designantem genus humanum, in cœitate natum. Quod futurum vel Samaritanæ illa prævidit, quando dixit: *Cum Messias venerit, ille nobis annuntiabit omnia,* Joan. IV.

V. Natus est vobis dux viæ ad veram et beatam vitam consequendam, viam aperiens et complanans, excitans et animans omnes ad sequendum. Magnum quidem bonum est lumen fidei, quo summum bonum certum, et viam ad consequendum id perspicimus. Quia tamen via ad cœlum, ibi bonum illud apprehenditur, ardua et difficilis est, hinc ductore indigemus. Sine hoc Næbri in deserto pergere solebant ad terram promissionis, Exodi XXXIII. En ergo vobis dum Christum, uti eum appellant ex Michæla, principes sacerdotum et Scribe, Matth. II. *Ex te enim exiit dux, qui regat populum meum Israel.* Dux, inquam, qui per ardua quæque nos antecessit, et aspera complanavit, viamque cœli tri-

tam et facilem nobis reddidit. Meministis, opior, quod alibi dixi, quanta in angustia fuerit Maximilianus Austriacus, post imperator, cum sectando ibices in præcipiti loco interceptus, de vita desperabat, modum emergendi non inventiens. At ubi ad ipsum juvenis quidam descendit, qui lapides dimovendo, viam aperuit, ipsumque confidere et se præcedentem sequi jussit ingenti lætitia perfusus princeps animum resumpsit, et ducis sui vestigia intrepide secutus, periculum evasit. Quod Maximiliano, hoc humano generi consigit, quando sectando suas concupiscentias, incidit in terrible inferni præcipitum, unde nonnisi divina adjuvante manu poterat emergere. Et en vobis Dei Filiū hodie adventem, ut velut dux vester educat vos e periculo isto, et in tutum beatitudinis locum inducat; de quo idem Michæla, capite II. prædictit: *Ascendet pandens iter ante eos.* Quomodo ergo non ingenti perfundi lætitia possimus omnes hodie? Si populi de insigni principe, exercitus de magnanimo duce sibi gratulantur; non gratulemur nobis de tali duce, qui omnia perrumpere, aspera complanare et distorta potest dirigere?

VI. Natus est vobis altor et paterfamilias, qui in via illa virtutis vos confortabit et saturabit pane, non tam terreno, quam cœlesti, qui est partim verbum Dei, partim præclara virtutum exempla, quæ in ipso et sanctis ejus eluent ac mirifice nos confortant; partim sacramenta, præseritam eucharistia. Fuit ante adventum Christi maxima hujus panis penuria, exigentibus ejus peccatis, de quæ Amos VIII. dicitur: *Mittam famem in terram, non solum famen panis, sed audiendi verbum Domini.* Fuit hæc dira famæ in mundo ante Christi adventum, non solum apud gentiles, sed etiam magna ex parte apud Judæos; significata per septennalem Ægypti famem, cui providit panem et alimenta Joseph; ita ut propterea Salvator mundi appellaretur, quia totam Ægyptum et vicinas regiones a famis extio liberasset, Genesis XLI. Quam ob causam expressus erat typus Christi, qui verissimus totius mundi Salvator fuit, providendo cibum vitæ, quem diximus. Cui etiam recte convenit nomen, quod ait sacer textus de Josepho pronuntiatum fuisse a præcone clamante abrech, quod Ægyptiæ significat, flecte genu, Hebr. vero secundum divum Hieronymum, *Pater tener.* Quis enim iste Pater tener, nisi Christus infans, idcirco natus in Bethlehem, hoc est in domo panis; quia mundum saturavit, et undique implevit panibus, fecitque Ecclesiam domum panis? Qui et in præsepio reclinatus est, ut non justorum tantum, sed etiam peccatorum, quasi brutorum panem se esse velle indicaret

Jam ergo si post diurnam famen larga panum suppeditatione, seu per messem seu per alia subsidia sublatam, populus in lætitiam effunditur; quanto æquius hodie jubilamus ob adventum tanti Salvatoris, qui non moritura corpora, sed immortales animas celesti pane reficit?

VII. Natus est vobis princeps pacis, qui panem mundo attulit; rex pacificus, uti in vesperis heri cecinit Ecclesia, cuius vultum desiderat universa terra. Nihil fere optatius est mundo quam pax: Nulla salus bello, ait, pacem te poscimus omnes. Hanc ei Christus attulit, quemadmodum et angelii canunt: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus. Sed ubi hæc pax, dicet aliquis, cum perpetuo in mundo bella sint? Respondeo in primis, pacem universalem inter gentes, quæ, Christo nato, viguit in mundo, ab ipso et propter ipsum factam esse: deinde, non venisse Christum, ut pacem illam civilem inter nationes perpetuam faceret, sed aliam longe meliorem, eamque tripli-cem. Primo, cum Deo, cui per gratiam reconciliamur et amici efficiamur, quæ est nobilissima pax: secundo, cum propria conscientia, quæ est mentis tranquillitas ac serenitas, civili et externa illa pace longe etiam præstantior: tertio, cum fratribus nostris Christianis, qui, beneficio fidei christianæ, magna inter se pace et quiete vivunt; in quam coierunt gentes omnium linguarum, prius inter se hostiliter et perpetuo belligantes. Erat enim mundus ante Christi adventum velut silva ferarum vastissima, aut oceanus, in quibus major minorem, fortior devorabat debilorem; perpetuae quoque insidiae atque inimicitiae inter homines erant. Per adventum Christi vero habitate rœ cœpit lupus cum agno, et pardus cum hædo, ut prædictis Isaías, c. XI. Unde habemus ut jam in Ecclesia pacifice inter nos habitemus sub uno Ecclesiæ pastore, iisdemque legibus vivamus in timore Dei. Jam licet alicubi bella et inimicitiae gerantur, id nemini obest, nisi qui pacem odit. Unde S. Bernardus, ser. XIX. in Cant. ait: Quid a foris, fratres mei, vos conturbare aut contristare poterit, si intus bene est, et fraterna pace gaudetis? Quid enim curas tu, si foris sit tempestas venti, nimbi, algura, nives; modo tu quietus in domo tua sedeas, bene ab injuriis cœli munitus? Sic qui pacem cordis habet, nihil curat externa dissidia et tumultus bellicos. Atque hoc est regnum Salomonis nostri pacificum, per illud quod sub Salomone fuit, præfiguratum, in quo unusquisque sedet sub vite sua et sub sicu sua, III. Reg. IV. Tali pace nos jam fruimur et constanter quidem: et cui eam debemus, nisi Christo?

VIII. Natus est vobis Salvador, qui post hujus viæ miserias servabit nos ab inferitu et perducat

salvos atque incolumes ad vitam beatam et æternam. Ultra hoc non video quid desiderare possimus. Quid enim omnes querimus, nisi ut aliquando saltem ab omni miseria et molestia liberi, æternum vivere beati possumus? En adest, qui ad eam vitam perducere nos et potest et vult. Quando Lamech genuit Noen, prævidens in spiritu filium fore generis humani conservatorem in diluvio, appellavit eum Noen, dicens: Iste consolabitur nos. Vel ut Septuaginta vocabulum a noach, hoc est, quiete deducentes, vertunt: Hic requiescere faciet nos ab operibus et tristitiis manuum nostrarum. Et quidem fuit Noe consolator et salvator quidam generis humani, dum in arca sua id servavit in octo saltem personis, verum ad vitam solum temporalem et miseram. At vero Christus hodie natus, ita nos salvabit, conservando in Ecclesiæ suæ arca, ut mortem non visuri simus in æternum; sed ad vitam in ea transvehet, omnibus bonis refertam, omnibus malis carentem. Tametsi enim nunc habitamus in corpore mortali: Scimus tamen quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis, ait apostolus, II. Cor. V.

Jam nunc considerate, auditores, quantam et quam multiplicem habeatis cantandi et jubilandi causam. Vel enim una ex prædictis sufficere debet, ad diem festum instituendum, et immortales gratias Deo agendas; quanto magis cum videmus tot simul gaudiorum causas concurrere? Quando igitur nos tot tantisque gratias celebrandis minime pares sumus, invitemus ad Dei laudes nobiscum decantandas in primis ss. angelos, quorum fratres hodie esse cœpimus: deinde, volucres cœli et creaturas omnes, ac dicamus: Laudate Dominum, omnes gentes, laudate eum, omnes populi.

## CONCIO III.

## QUARE CHRISTUS IN TERRAM PAUPER ET HUMILIS

VENERIT.

I. In solarium pauperum. — II. Ut mundum a via perditionis revocaret. — III. Ut viam cœli nobis monstraret. — IV. Ut, spredo mundo, virtutem secundam doceret. — V. Ut suum erga nos amorem testaretur.

## THEMA.

Omnes qui audierunt mirati sunt. Luc. II.

Daniel propheta, c. VII. raptus aliquando in visione noctis aspexit venientem cum nubibus cali quasi filium hominis, et quidem, ut Chaldaice ha-

## IN FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

letur, kebarenos, hoc est, quasi filium hominis miseri, ærumnosi, morti obnoxii et oblivioni traditi (ut ibi notat Corn. a Lap.) qui ubi pervenit ad Patrem, accepit imperium totius universi. Qua visione ita in stuporem actus fuit, ut diceret: Horruit spiritus meus: ego Daniel territus sum in his, et visiones capitis mei conturbaverunt me. Itaque accessit ad unum de assistentibus, et veritatem quærebatur ab eo de omnibus his. Quem tam longe prævidit tanto cum stupore et horrore Daniel, eum nunc, auditores, præ oculis habemus, Dei Filium scilicet, quasi Filium hominis de cœlo venientem; sed nubibus carnis humanæ obvelatum et obscuratum, imo et miserum, ærumnosum, moritum et oblivioni traditum in stabulo Bethlehem. Quis hic non cohorescat, videns Deum factum hominem abjectum, pauperem, contemptum, oblivioni traditum, jacentem in præsepio, in spelunca, pannis involutum inter bestias? Sic enim et Moyses horruit, cum thaumaturgam suam virgam in serpentem mutatam vidit, ita ut eam fugeret, quæ et ipsa significabat Dei Filium in peccatoris formam, quasi transformatum, secundum Cyrillum, l. de incarnatione. In hodierno evangelio omnes, qui hoc miraculum audierunt, mirati sunt, et miramus nos omnes usque in hodiernum. Quare sicut Daniel accessit ad unum de assistentibus, et virtutem illius apparitionis inquisivit, ita nos faciemus: accedemus ad assistentes Christi præsepi, et inquiremus causas, cur tam pauper et abjecta specie venire ad nos voluerit.

I. Interrogemus Mariam et Josephum. Hi respondebunt, sic eum venisse in solarium pauperum. Etenim pauperes in mundo, olim præser-tim, despiciunt et probro erant inter homines, ut et ipsa paupertas; ita ut mundus putaret pauperes a Deo non curari, nec ipsi cordi esse, quod negligenter velut reprobi, præsertim apud gentiles, uti deprehendit S. Xaverius in Japonia. Qui tamen error gravissimus est, siquidem pauperes ad mundi conservationem prorsus necessarii sunt, et quidem maximo numero: nec minor est cura Deo de paupere, quam de divite; juxta in Ps. XI. Oculi ejus in pauperem respiciunt; suntque ordinarie pauperes minus implicati vitiis, quam dites. Quia ergo passim erant despicii, ideo Dei Filius elegit pauperes parentes, et pauper fieri voluit, ut sciremus pauperes non spernendos sed honorandos potius ac fovendos, nec paupertatem esse probrum aut peñam a Deo inflictam, sed exercitium virtutis, denique, Deum non esse personarum acceptorem. Hinc jam pauperes e priore luto et sordibus suis emergere et in honore esse cœperunt, adeo ut multi nobilissimi, ad imitatio-

## V. PARS FESTIVA